



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae

In Qvinqve Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

De filijs Regum Ordinis Militum de Auis. cap. LXXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38372

De Alphonso primo Lusitania Rege, fundatore Militum Ordinis de Auis. Cap. LXXIII.



EBORA, ciuitas Lusitaniæ Celeberrima, & frequen-
ti Regum Portugalliæ domicilio nobilissima, qui-
busdam Militibus, quorum magna erat opinio uir-
tutis, ad Maurorum incursus arcendos, munienda,
custodiendaque data est, ab Alphonso, huius no-
minis primo, Lusitaniæ Rege, anno Domini 1147.
qui ut præmium labori esset, ipsam ciuitatem, cum subiecto agro
dono dedit Beatæ Mariæ Ordinis Cisterciensis, atque eius nomine
Ferdinando Monteiro primo Ordinis Magistro, & Socijs iure per-
petuo, unde illis primum nomen Eboræ Militum. Resque adeo cre-
uit, ut & Christianorum collationibus facultates maximas, & oppi-
da quamplurima possiderent, creato Magistratu cui obtempera-
rent. Aucti deinde, eiusdem regis munificentia an. 1181. tempore
Ferdinandi Yannez, secundi Ordinis Magistri, castro Auiso, ab eo
denominati sunt. Habitus, præter Crucem Rubram, ab initio nul-
lum discrimen.

Et in simili uarietate, sexaginta sex annis perseverantes fuere,
donec anno 1213. Garfæ de Aca, Magistri Militiæ Calatrauensium
liberalitate, donati sunt duabus amplissimis possessionibus in regno
Portugalliæ, & tunc primum formula Ordinis constituta, & albus
habitus, ad Crucem Rubram assignatus. Magistri eis fuere diuer-
sis temporibus, tum sanctitate, tum etiam bellica laude clari. Quan-
do militiæ Calatrauæ incorporati sunt incompertum, patet tamen id
accidisse post an. 1490. nam eo anno Frater Georgius, Ioannis Regis
Lusitaniæ filius, & Militum Auisij Magister mortuus perhibetur.

De filijs Regum Ord. Militum de Auis. Cap. LXXIII.



FRATER Ioannes, Petri Portugalliæ Regis, cogno-
mento Crudelis, filius Nothus, Miles, & Magister
militiæ Ordinis Equitum de Auis, post diuturnam
Ordinis gubernationem, Ferdinando Rege huma-
nis rebus exempto, Lusitaniæ Rex declaratus, mi-
ra toto regni sui tempore peregit. Primus nam-
que fretum Herculeum transgressus, tres insulas extra orbem eic-
cas

etas (vulgo Disperfas dictas) regno conquisiuit; & Septam Africae Ciuitatem, Mauris ademptam, Portugallis dedit. Fato concessit anno Domini 1433. regni sui 50. *Genealogia Regum Lusitaniae, & Caesar Campana de eisdem.*

Sanctus Frater Ferdinandus, Fratris Ioannis, praefati Portugalliae Regis filius, ab incunte aetate Ordinem Militum Auifiorum ingressus, patre ad regnum assumpto, Militiae Magister factus est anno Domini 1385. Demum bello Saracenco captus, apud hostes in vinculis ea vixit patientia, vt molae qua uiuere cogebatur cum famulo per se satis sufficiente, suas partes obiret: ob quam vitae abstinentiam, & crebra quae ad eius sepulchrum fiebant miracula, Diuorum albo est adscriptus. Obijt anno 1443. die 17. mensis Iunii, & in caenobio Batallae sepultus est. *F. Stephanus Lusignanus corona 4. cap. 7. & alij nonnulli.*

Frater Georgius, Ioannis II. Lusitaniae Regis filius, Dux Coimbriae, & Turris nouae Marchio, miles, & Magnus Magister Equitum Auifiorum a prima aetate factus, claruit maximè anno Domini 1490. *Genealogia, & Caesar Campana supracitati.*

De S. Raymundo Abbate, & Sanctio Rege, fundatoribus Militum Ordinis Calatrauae. Cap. LXXV.

NON absimile principium Militibus Calatrauensibus, Sanctio Desiderato Castellae, & Ferdinando Legionis & Galliciae, Regibus, fuit. Calatraua enim oppidum loco munito in Oretonis ad Anam flumen situm, quo tempore ereptum est a Mauris, Templarijs militibus, ut arcis instar esset ad Barbarorum impetus repellendos, commendatum est: ij, Mauris ad castrum obsidendum magno numero aduentantibus, defensionis spe abiecta, Sancium Regem conuenientes arcem cum oppido reddiderunt. Inter nobiles deinde inuentus est nemo, quamuis a Rege ea de re interpellati, qui suo periculo arcem custodiendam susciperet. Contigit, idque non sine uoluntate diuina, ut duo Cistercienses Monachi, quibusdam alijs negotijs impediti, eo tempore Toleti de morarentur, Raymundus Fiterij ad Pisoricam Abbas (errant qui hanc laudem ad Fiterij caenobium allegant, quod in Vasconibus non procul Tudela situm est, cum constet consequenti tempore fuisse exstructum) atque eius socius Dieghus Velasquius, is uerus antea
Alphonfi